AD PETRVM THYRAEVM SOCIETATIS IESVITICÆ THEOLOGVM, & Professorem Moguntinum:

DANIELIS TOSSANI, Sacrosanctæ Theologiæ in Academia Heidelbergensi professoris,

EPISTOLA νουθετικὴ sive admonitoria,

DE RATIONE EXAMINANDI, ET EXAMINE Apologeticarum Thesium, nuperrimè à Thyræo edito.

Prouerb. 25.

Nubes & ventus absque imbre est vir gloriosus, & promissa non complens.

HEIDELBERGÆ.
1588.

R. P.
D. Petro Thyræo ὑγιαίνειν.

ALlatum est mihi & oblatum ab amicis post Idus Martij, cum iam ad nundinas accingerentur mercatores, EXAMEN tuũ (vt vocas) Domine Doctor Petre, Thesium nostrarum Apologeticarum de Iure Vocationis & Missionis Ministrorũ Euangelicorum; quod tunc sepositi, existimans libellum tuum Titulo respondere, & ad excutiendum rationes & pondera tui Examinis maiore otio, & accuratiore consideratione opus esse: vt si quis dignus vindice nodus incideret, non præteriretur, & Thyræo, qui totos iam viginti sex annos in societate Iesuitica exegit, nihil responderetur, *quod non multa dies, & multa litura* coercuisset, atque *perfectum decies non castigasset ad vnguem*: Verùm cum succisiuis horis scriptum illud tuum inspicerem & degustarem, vidi (quod in aliquot tuis Thesibus etiam antehac mihi deprehendisse videbar) præter Satyricam maledicentiam, & repetita sophismata, ostentationemque inanis loquentiæ nihil admodũ examen tuum continere, & te in re seria partim ludere, partim eludere, nec figere pedem, vbi figendus est, nec iustis a te ponderibus, aut aurificis statera, sed populari quadam, & vobis vsitata trutina Theses nostras Apologeticas examinasse: ideo de nonnullis commonefaciendum, si imposterum nostra scripta examinare, & virgulam Censoriam tibi sumere voles: ne forte, vt Salustium Cicero admonebat, si quam voluptatem maledicendo ceperis, eam malè audiendo perdas.

Ac primùm quidem, mi Thyræe, quantum cupis incorruptũ seruare iudicium, & ad aliorum scripta examinanda idoneus esse, tantum tibi caue ab illis Gnathonibus, quos in prima acie tui Examinis, vt quasi fulgur ex pelui excitares, & tibi delicias faceres, mihi metum incuteres, collocasti: (nisi tu forte totus alias Satyricus illarum Satyrarum, gerrarum, & affaniarum es autor.) Caue, inquam, ab iis, qui tibi [illegible]um tuo respondente Bickelio pal

pũ obtrudunt,& ſuis adulatoriis verbis oculos tibi perſtringunt, & inſtar coruorum cor tuum exedunt, tibiq; perſuadent, te eſſe alterum Hippiam omniſcium, vel alterum Theſeum Amazonum,& Minotauri debellatorem,cuius Theſes omnibus Euangelicis, vt Bickelius ſcribit,ſint formidabiles: Quaſi verò ſi par pari referre lubet et,deſint nobis vel eruditi poetæ,vel Iambi,vel Satyræ,& alia huiuſmodi tela, quibus facile te cum tuis omnib. aſſeclis & paraſitis protelaremus:niſi,inquam, veritatis eſſet ſimplex oratio, quam idcircò, vt monet Seneca, multis verborum inuolucris & parergis implicare non decet: ſed longè eſt ſatius rem cum re, rationem cum ratione diſceptare. Deſinat ergo reſpondens tuus Bickelius mirari,me nulla(vt ſcribit) iniuria prouocatum & tibi ignotum contra tuas Theſes de Iure Vocationis Miniſtrorum ſcripſiſſe: ac ſi priuatas tantùm iniurias perſequi deberemus,neque iis affici,quæ contra veritatem,contra Euangelicas Eccleſias,contra Miniſtros & Doctores Euangelicos audacter & contumeliosè pronunciantur. Priuata omnia Thyræe tibi libenter condono, licet me ſatis inclementer, iam cum Imperatoribus & Regibus, iam cum VBiquitatis Antiſtitibus committere, & totis hoſtium examinibus in tuo Examine dilaniandum præbere ſtudueris. Sed faceſſant quæſo illa parerga, quæ nunquam tibi conquirenda fuiſſent, ſi tuæ cauſæ bona & certa fundamenta habuiſſes. Cæterùm dic mihi quæſo D. Petre, per eam dilectionem,quæ eſt inter ſocios tuæ Societatis,quomodo vis impoſterum tuas,& tui ſocij Laurentij Arturi ſcriptiones appellem? Centones ne,an Declamationes,an Theſes? Theſes vocatis, noua, vt mihi videtur, appellatione, quæ totas aliquot paginas implent: & aliquot libris & compluribus duernionibus abſoluuntur: quales ſunt tuæ de Poteſtate Eccleſiaſtica: & rurſus in tuo Examine:illius verò de Cœna Lutheranorum & Caluinianorum: & hunc nomino, quia in veſtris Theſibus vos mutuo ſcabere, & mutuas operas tradere video, & ea tamẽ tantum interpolare, quæ iampridem ab Hoſio, Lindano, Turriano & aliis in medium allata,& à noſtris refutata fuerunt: vt nõ mirum

ſit no-

sit nostris Theologis non semper integrum esse vobis cum chor da eadem oberrare, & eandem semper retexere telam. Tuum verò Examen licet in Theses distributum videtur, & Respõden tem asciuisti, qui de iis responderet: tot habet facetias, apostrophas ad Tossanum, digressiones, vt Comœdiam potius vel Lucianicos Dialogos, quàm Theses Theologicas aut legitimum aliquod Examen nobis referat: Parùm igitur me terrent tuæ Isagogæ: tuæ quas fingis Kenologiæ, Pseudologiæ, Alogiæ, Hæreseologiæ: cum nihil aliud sint illa tua grandia verba & magnificę pollicitationes, quàm *nubes & ventus absque imbre*, vt loquitur Salomon Prou. cap. 25. quod vt ipse videas & intelligas, (nisi tibi fastus & præsumtio oculos & iudicium ademerunt) paucis, ἐν ὀλίγῳ tibi ostendam, quàm parum adhuc sis ad nostra scripta examinanda aut refutanda idoneus, & quàm bene & firmiter inuicta veritas, quam per Dei gratiam tuemur, consistat. Non hic mi Petre per Kenologias & Pseudologias decet te ἀφοβατεῖν, quando te reuoco ad istud primum ζητούμενον: An illa tua prima Demonstratio, quam vocas, sit Apodictica: *In Christi Ecclesia nõ habent potestatem mittendi Laici: Ministri verbi sunt Laici. Ergò potestatem mittendi non habent*: Hîc tibi demonstraui, nulla auctoritate Scripturæ (vnde huiusmodi Demonstrationes peti debẽt) vel Maiorem vel Minorem illius tuæ imaginariæ Demonstrationis probari posse. Ratio hæc est, quòd Laicos & Clericos longè aliter definitis, quã scriptura eos hominũ ordines, qui ab initio in Ecclesia Dei fuerunt. Vobis sunt Laici homines pij, docti, apti ad docendũ, expetiti ab Ecclesiis, ordinati à certo cœtu Doctorum & Pastorum Ecclesiæ: si sint vxorati, & vnctionem non habeant à Papa, & eius emissariis. Clerici vobis sunt, Sodomitæ, Adulteri, Scortatores, Simoniaci, qui nunquam docent, & nec apti sunt ad docendum, si plerosque spectes, modo loco vxorũ habeant concubinas, sint raso capite, vncti à Papa, vel aliis Episcopis: Et de talibus Clericis iam suo tempore conquerebatur Cyprianus, *quod non seculares solum, sed etiam gentes impietate vincerent*: & ex vestris Canonibus plerique Clerici vestri, rei sacri- *De singular. Cleric.*

legij peragi possunt, cùm propter alias causas, tum quia cum de
Quæst. 2. c. Clericos. suo viuere possint, de bonis Ecclesiasticis, quæ sunt pauperum, viuunt. Quid quod Laici multi hodie in Papatu contra Canones, beneficiis & maximè opimis Sacerdotiis fruuntur? Vide igitur Thyræe, qua conscientia affirmes Demõstrationes tuas tantum arrodi: Robur saluum relinqui: Vide quàm in tua prima lsagoge lasciuias, dum fateris, quæ ex vetere Testamento produxisti, nihil pro te facere: nec exemplo veteris Legis vestros ordines in Ecclesiam introductos: sed confugis ad petitionem Principij, in Ecclesia esse tales ordines: imò naturam id ipsum postulare, iubere: & naturæ bellum indicere eum qui tales ordines improbet: quasi valeat hæc consequutio: Natura postulat Ordinem: & idem recta Ecclesiæ constitutio requirit. Ergo postulat talem ordinem Laicorum & Clericorum, qualis hodie cernitur in Papatu, nec cum Dei verbo, nec cum Canonibus ipsis Pontificiis consentiens.

Exempla porrò à nobis adducta sunt ex vetere & N. Testamento, & ex ipsis Iustiniani nouellis, Regum & Imperatorum, qui non solùm Religionem promouerunt (quod tu Thyræe solùm arripis, de quo non controuertitur inter nos) verumetiã Sacerdotibus mandata dederunt, & Sacerdotes populo præfecerunt, quod ius tu solis Episcopis arrogas: & id non ex autoritate alicuius Papæ: sine qua principibus & regibus nihil in Ecclesiasticis iuris relinquis: verùm autoritate diuina, & sui muneris: & propter summam necessitatem, quandoquidem talia sæpe incidunt tempora maxime in Papatu, qualia B. Hieronymus describit, *vt Laicorum siue populi aures sanctiores sint, quam labia Sacerdotum*: Sed tibi, mi Gelasi, ridiculũ est (inquis) quod thesi mea Apologetica duodecima, adfero de Paulo, Barnaba, Iuda, Sila. Quid autem illud est? aio, cum illi mitterentur, & sicut ipse non diffiteris, deliberatio esset Ecclesiastica, non solos Apostolos & presbyteros, sed reliquos quoque fratres & membra Ecclesiæ adhibita: si id tibi ridiculum est, sit tibi ridicula Scriptura: Inspice rursus locum Act. 15. v. 22. & 23. Atqui non mittebantur illi (inquis)

quis) ad docendum, ſed propter quæſtionem de Circumciſione. An illi miſſi non docuerint, vide eodem capite, mi Petre, verſu 32. Sed fac non miſſos ad docēdum: Manet tamen mea Theſis vera: ad deliberationes Eccleſiaſticas adhibitos Laicos, niſi putas quæſtionem de Circumciſione & ratione iuſtificationis, quæ tunc agitabatur, non fuiſſe Eccleſiaſticam. Alias autem eſſe partes in huiuſmodi miſſionibus & deliberationibus presbyterorum, alias eorum, quos Laicos vocas, id tibi vltro largimur, & id agnoſcit Theſis noſtra 22. Cæterum Thyræe, cum Examinator meus eſſe volueris, quantumuis ſis ſupercilioſus: ecce me tibi iſto, & interroganti apertè, & ſine ambagibus reſpondebo. Falſo enim tibi, antequā me interrogares, Ieſuiticus faſtus perſuaſit, quod in fine primæ Iſagoges ſcribis: *Reſpondere non poteſt Toſſanus, aut alius de gregè Caluini, quo diſcrimine diſtent apud Euangelicos Miniſtri à Laicis, niſi ſola Magiſtratus voluntate, qui ſi ſic ſacros facit, facit & ſanctos.* Nætur, mi Thyræe, cum hæc ſcriberes non eras apud te: & licet in tuo Examine te ſatis memorem eſſe credas, non recordatus es pleraſq; Eccleſias Catholicas Orthodoxas, quas Caluinianas vocas, habere ſibi aduerſantes Magiſtratus, vt in Gallia, Belgio, Hungaria, Bohemia, Polonia, in Anglia autem penes Epiſcopos manſiſſe huiuſmodi ordinationes. In Heluetia & Germania cōſtituta eſſe vel presbyteria, vel claſſicos conuentus, vel Senatus Eccleſiaſticos, in quibus cum de Electione & ordinatione Miniſtrorum agitur, præcipuæ partes ſunt Doctorum & Paſtorum Eccleſiæ, qui actionibus illis præſunt & moderantur. Magiſtratus autem legitimè examinatos & ordinatos, ex officio confirmat, tuetur & eorum miniſterio autoritatem apud ſubditos conciliat. Verùm ſi mihi Examinatorem meum interrogare liceret, quærerem ego Domine Doctor Petre, quid nam pleroſque veſtros presbyteros & Canonicos à Laicis diſcernat, præter vnctiones, quibus ſæpe indigent: & cantiones, quas in choro rauca plerunq; voce, naſoq; potius, quàm faucibus decantant. Plerique indocti ſunt & ἄμουσοι, ſcortatores, Aleatores, potores, venatores, aucupes. Dic mihi, quo iure, quo

Exemplo, vel Apoſtolico vel piæ illius vetuſtatis, Papa Cardinales presbyteros Eccleſiæ Romanæ faciat, pueros in cunis: quos nunquam vidit, neque nouit, alios quos nimis familiariter nouit? & ſicut veſtræmet hiſtoriæ conqueruntur, multos cannonizet, & ſanctos faciat, quorum animæ ſunt in inferno? Quid ſi Gratianus veſter reuiuiſceret & Papæ obiiceret illud quod Decreti 2 parte, cauſa 11. Quæſt. 111. extat? *Priuilegium omninò meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate.* Item, *ligandi ſoluendique poteſtate ſe priuat, qui hanc iniuſtè exercet.*

Obijcis mihi porrò in prima Claſſe tuarum Kenologiarum crimen falſi: Sed quomodo probas? Me ſcribere, ais, te de titu Aaronico non audere diſceptare, cùm illud ſacerdotium [illegible] rogatum: te verò ſex rationibus oſtendere noſtros miniſtros Aaronico ritu niti non poſſe. Quid hoc verò ad rem? cum theſi vndecima fatearis illam ſacros homines conſtituendi rationem cum lege veteri in Chriſto deſijſſe: in nouo Teſtamento autem nouos miniſtros ordinari quis negat? quis ex nobis docet ſacrorum & prophanorum, vt tuis verbis vtar, diſcrimen eſſe ſublatum? Vbi maior quæſo prophanitas quam Romæ, quam inijs, quos ſacros, quos vnctos, quos Clericos vocatis? Nam ſi inter noſtros miniſtros nonnulli inueniuntur, qui cum cuculla non poſſunt abijcere mores Romanos modernos, illi non feruntur: nec talis certè licentia, nec profanitas, nec inſcitia noſtris obijci poteſt, ſicut palàm in Clero Romano conſpicitur, toleratur, & fouetur: Tales vt plurimum ſedent in conclaui: claudunt latus pontificis: ad Archiepiſcopatus & Epiſcopatus promouentur: legati in aulas Regum & principum mittuntur: vt de vulgo presbyterorum & Canonicorum & Monachorum nihil dicam: Nec ſunt hæ noſtræ querelæ, vel inſectationes: ſed Bernardi, Platinæ, Gerſonis, Æneæ, Syluij, antequam Papa fieret, Benonis Cardinalis, Petrarchæ, Dantis, & aliorum tum veterum, tum recentiorum Hiſtoricorum. Atqui, inquis, Theſ. 40. Officium habent Epiſcopi, licet non id exequantur: Habent, Thyræe, ſed Titulo tenus. Neq; enim Epiſcopum dignitas facit: ſed vita.

Gratia-

Gratianus, Cauſa 2. Quæſt. 7. Neq; nos tamen propter vitam, ſeceſſionem ab illis facimus, ſed propter Idololatriã, & dogmata ab Apoſtolica doctrina aliena, iuxta præceptum D. Pauli Galat. 1. Etiamſi angelus de Cœlo euangelizet vobis, præter id quod vobis euangelizauimus, anathema eſto. Vocat autẽ ibi, vt ex ſequentibus capitibus apparet, aliud Euangelium, ſi quis partialem iuſtitiam iuſtificantem faciat, & hominem partim operibus legis, partim fide in Chriſtum iuſtificari doceat. Talem veſtræ Scholæ hactenus docuerunt: & Sorboniſtis, Louanienſibus Theologis alijsq; huiuſmodi furijs autoribus, ferro & flammis in eos eſt ſæuitum, qui iuſtificationem gratuita remiſſione peccatorum conſtare, & Fide ſine vllis meritis percipi crediderunt: Artu, mi Thyræe, qui fortaſſis contra conſcientiam doctrinam Euangelicorum oppugnas, in examine tuo, Theſi III. pronunciare non dubitas, *eſſe mendacium, Papam labefactare doctrinam de gratuita remiſſione peccatorum, & Catholicos cum omnibus Romanis pontificibus docere, nos per Chriſti Fidem, gratuita Dei miſericordia, nullis noſtris meritis ſaluari:* Hæc ſi ſeriò creditis, quomodo conſiſtit doctrina Meriti de congruo & condigno: De purgatorio: De indulgentijs: De peregrinationibus ad Diuos: De miſſis pro defunctis? Quomodo doctrina veſtra de iuſticia infuſa & actiua, qua nos iuſtificari, atq; ita ex iniuſtis iuſtos fieri vultis? Quomodo id quod Fidem initium tantum ſalutis cum Concilio Tridentino facitis? Nonne Eckius in Enchiridio ſcribit, *Fidem non ſufficere ſine operibus*, & opera eſſe *meritoria vitæ æternæ?* & cenſura Colonienſis: *Nullo modo Chriſti obedientia & meritum, materia ſalutis & iuſtificationis dici poteſt?* Et qua conſcientia in tuis Theſibus de vera Fide aſſeris, veram Fidem, de qua vos erudiuerunt proteſtantes, & quæ multis annis in papalibus Scholis ſepulta iacuerat, non poſſe in proteſtantium Eccleſia reperiri: quia ſcilicet non ſunt oues Chriſti, vt tu impudenter ibi affirmas: Ergóne oues ſunt, qui Papam potius audiunt & placita hominum, quàm Chriſti vocem in Euangelio ſonãtem, vobis ira inuiſam, vt quaſi per contumeliam Euangelicos ſoleatis nos appellare? Facilis eſt

igitur, Domine Examinator responsio ad illam quæstionem siue interrogationem tuam: quando Ecclesia Romana deficere inceperit à veritate Euangelij? Initia & fundamenta defectionis iacta fuerunt, Thyræe, quando à vera illa Fide Romanorum, quæ toto orbe celebrabatur, ad εἰλοθρησκείας & opinionem meriti paulatim deflectere, & superstitiones cumulare cœperunt pontifices: quas non parum auxit & confirmauit Gregorius ille primus: quem Caluinus quidem à modestia laudat lib. 4. Instit. cap. 7. sect. 11. quod cæteros Episcopos pro fratribus agnouerit, & à generalis Episcopi titulo, & pontificia autoritate iubendi & mandandi quiduis, sicut hodie fit à vestris pontificibus, abhorruerit. Sed rursus lib. 1. Instit. cap. 11. sect. 5. libere monet Caluinus, eum, si in Schola Spiritus Sancti rectè edoctus in illa saltem parte fuisset, non ita imaginum cultum, & alias superstitiones defensurum fuisse.

Verum enimuerò tu egregius es sedis Romanæ patronus: qui Thesi 106. ais: etiamsi Diabolus inuaserit aliquando sedem Romanam (quod ex vestris Historiis in meis Thesibus probaui) non ideò tamen Ecclesiam à Fide defeciſſe: vnde sequitur: vel Ecclesiam Catholicam incolumem manere, deficiente etiam Romana, quod hactenus negastis: vel à Fide non deficere eos, qui à Satana toti possidentur & aguntur. Cæterùm ista non sunt à Thyræi dogmatibus aliena, qui Thesi 121. Ecclesiam, contra quam portæ Inferorum non prævalebunt, constare ait etiam non Electis, non prædestinatis, id est, Reprobis, mancipiis Diaboli & Inferorum. Et alibi concedit Papas Romanos non dici successores Petri, quod ea agant & doceant, quæ Petrus: quemadmodum (inquit) Constantinus successor fuit in Imperio, licet non eadem ageret, quæ maiores. Concedimus tibi, Thyræe, non admodum grauatè, Papam successorem esse Petri, sicut Nero, Caligula, Diocletianus, Iulianus successores fuere Iulij Cæsaris: Turcarum Imperatores Imperatoris Constantinopolitani Sed an sint legitimi successores, qui tenent loca sanctorum, & quicunq; sedent in Templo Dei, docebit te D. Paulus 2. Thess. 2.

nisi

nisi Ieronymō credere malis, aut inspicere librum, qui inscribitur Defensor pacis, siue de potestate Papæ & Imperatoris ante annos 260. scriptum cum Apologia Marsilij Patauini pro Ludouico Bauaro Imperatore: vbi inter alia: Tales debent esse Apostolorum successores, qui doceant omnes gentes: Papa dicit in secularibus se non Petro, sed Constantino successisse. sed non conuenit Apostolorum successoribus sibi reseruare arces & ciuitates. In concilio Ierosolymitano non dicebatur, placuit PETRO, sed Apostolis & senioribus, &c.

Æque Catholicum & Apostolicum est illud tuum Axioma, Thyræe, Thes. 99. Colligendam esse ex Episcoporum successione veritatem doctrinæ, non vt Tossanus monuit, ex consanguinitate doctrinæ Apostolicæ, veritatem vocationis. Primùm iniuriam magnam facis Tertulliano & patribus, si tale pronunciatum eis affingis. sic enim Tertullianus lib. de præscript. aduersus Hæreticos: Vbi de successione & ordine Episcoporum locutus est: *Confingant* (inquit) *tale aliquid hæretici: sed etiamsi confinxerint, nihil promouebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata, ex diuersitate & contrarietate sua pronunciabit, neq; Apostoli alicuius autoris esse, neq; Apostolici. quia sicut Apostoli non diuersa inter se docuissent: ita & Apostolici non contraria Apostolis edidissent: nisi illi qui AB APOSTOLIS DESCIVERVNT, ET ALITER PRAEDICAVERVNT. Ad hanc itaq; formā prouocabuntur ab illis ECCLESIIS, QVAE LICET nullū ex apostolis vel Apostolicis AVTOREM suum proferant,* (loquitur de successione) *vt multò posteriores, quæ denique quotidie instituuntur: TAMEN IN EADEM FIDE CONSPIRANTES non minus Apostolicæ deputantur pro consanguinitate DOCTRINAE.* Audi etiam Thyræe Cyprianum de simplic. prælat. vbi de veræ Ecclesiæ Catholicæ notis agit: *Quomodo possunt in nomine Christi colligi, quos constat à Christo & eius Euangelio se separare?* Audi Augustin. de vnitate Ecclesiæ cap. 4. *Christus caput est Ecclesiæ: quicunq; de ipso capite à scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in OMNIBVS LOCIS inueniantur, in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia.*

Sed tranſeo ad alia, ne Epiſtola modum excedat.

Quærit inter alia Dominus Examinator: Quinam ſint apud nos Epiſcopi? Sed quid ſi idem à te quærerem Thyræe? Quomodo definitioni Epiſcopi, qualem D. Paulus deſcribit Tit. 1. reſpondeant pleriq; veſtri Epiſcopi: inprimis illi, qui in maxima ſunt apud vos autoritate, de quibus ſic ſcribit Gratianus cauſa 1. quæſt. 7. Qui ſuſceptum officium non adminiſtrat: non eſt Epiſcopus, ſed canis impudicus. Verum Examinatori reſpondeo, Epiſcopos nobis eſſe, quos D. Paulus Tit. 1. v. 5. presbyteros, & rurſus v. 7. Epiſcopos vocat: quod etiam fatetur Ambroſius in 4. ad Epheſ. Sed poſtea immutatam rationem: & cum multi presbyteri indigni eſſent, vocatos Epiſcopos, non quos ORDO, ſed MERITVM commendaret. Nobis ſunt Epiſcopi, quos iuxta Canones laudabilis vita, doctrina, aptitudo ad docendum commendãt; qui eliguntur à ſympresbyteris & presbyteriis, vel Synodis, & à plebibus expetuntur.

Et hæc quidem pauca hoc tempore, Reuerende Domine Examinator: ob oculos tibi ponere volui, vt inpoſterum meliores adhibeas trutinas in tuis examinibus, & ex his paucis intelligas, quàm vel mente careas, ſi ſeriò loqueris: vel fronte, ſi ioco, &, quod vereor, contra conſcientiam. Quod ſi quid ſupereſt in tuo Examine diſcutiendum, illud fortaſſe in tui gratiam, ſi per Liguæ veſtræ ſacræ funeſtas conſpirationes reſpirare licebit, proxima aliqua Diſputatione expediemus, & pro Kenologiis & Ailogiis tuis, Theſes breues & ſolidas & dialecticas reponemus. Vide ſaltem, vt deinceps noſtra diligentius excutias, nec te præcipiti iudicio ridiculum reddas: vt cum Theſi 11. Mendacium vocas, Hadrianum Papam tribuiſſe ius Carolo conſecratidorum Epiſcoporum: poſtea Canonem ipſum ſubijcis, vbi ille dicitur, cum vniuerſa Synodo Carolo tradidiſſe ius & poteſtatem eligendi pontificem, & ordinandi Apoſtolicam ſedem: Ergóne pontifex non eſt tibi Epiſcopus, nec habet Romana ſedes Epiſcopos?

Deinde quàm imprudenter, quæſo mi Thyræe, in ſecunda

tua

tua Isagoge, & rursus Thesi tua 76. inculcas à me imperitè non distingui Maiorem à Minore: & præterita Maiore tui syllogismi transiri ad Minorem, dum non animaduertis me ibi de Maiore tuæ Demonstrationis non loqui: quæ non erat controuersa, sed de Maiore eius syllogismi, ad quem te reuocaui Thesi mea 42. *Quicquid patres aut imperatores pro hæretico habent, id est hæreticum, &c.* Huiusmodi putidis argutiis totum refertum est tuum scriptum.

Ad Hæreseologias verò quas comminisceris, petens semper principium, imò negans principia, quid respondere attinet? cum Hæreseologias voces, si quis in demonstrationibus Theologicis requirat probationes ex scripturis: nec adhuc didicisti, ex ipsa scriptura probari, Mariam matrem Christi esse virginem: aut Euangelium esse Euangelium: qui hæreseologiam pronuncias, si quis dicat Catholicum esse, quod Fidei Christianæ, quod scripturis consentaneum est, & quod omnes omnium temporum fideles agnouerunt & profitentur. Qui deniq; hæreticos appellas non credentes Transsubstantiationē corporis Christi: quam nec D. Paulus credidit, qui etiam post recitata verba Institutionis panem vocat panem: nec Chrysostomus, qui Dominum de pane Cænæ priorem comedisse sensit: nec Augustinus: qui id quod oculi in hoc mysterio intuentur, panem nominat: nec Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, & alij saniores scholastici, Transsubstantiationem necessariò credendam iudicarunt.

Sed quid tibi Thyræe non liceat, qui hanc propositionem cachinno excipis, *Ecclesiam sæpe esse gregem pusillum, humilem, sine magna specie, inuocantem nomen Domini:* nec cogitas esse dictum Sophoniæ Prophetæ: & tempore Eliæ, tempore Apostolorum, post resurrectionem Christi talem fuisse Ecclesiæ statum: quam Ecclesiam idcirco CREDERE iubemur: quia scilicet sæpe non est admodum conspicua, nec magnam in mundo speciem habet: Quale, inquam, D. Petre, pectus, quam saxeum & ferreum ha-

bes, qui cum Petro Carpentario Apostata, immanes lanienas Gallicas extenuare & excusare vis? Si hæc Thyræe, & quæ nuper in agro Mombelgardensi vestræ S. Liguæ milites perpetrarunt non ad Christianos, non ad homines, verùm ad bestias, aut etiam, vt longiùs progrediar, si in aliqua desertissima solitudine ad saxa & scopulos conqueri & deplorare vellem: muta illa procul dubio & inanima tamen tam indigna atrocitate commouerentur. Sed exurget aliquando Deus propter vastationem pauperum, & clamorem afflictorum, licet ad tempus extollantur quisquiliæ, & ferociant impij, ac si crapula eorum cerebrum occupasset, & ad furorem incitaret.

Vale mi D. Doctor Thyræe, & si vis me inposterum tecum de rebus Theologicis disserere, abstine quæso à digressionibus, facetijs illepidis; & ingenio tuo, literis tuis, poësi tua ad maledicentiam ne abutitor. Aliàs sequar consilium Aristotelis 8. Topic. cap. vltimo: Οὐ δεῖ σωτικῶς χρῆσθαι τοῖς τυχοῦσι πρὸς τοὺς τυχόντας. ἀνάγκη γὰρ πονηρίαν συμβαίνειν. Heidelbergæ, ex meo Museo, 24 Martij. 88.

Daniel Tossanus S. Theologiæ professor, & verbi Diuini minister.

REGV-

REGVLA B. BASILII EPISTOLA 80. AD EVSTATHIVM: quam pro Hæreseologia habet Thyræus.

NON putamus æquum esse, vt quæ apud ipsos obtinuit loquendi consuetudo, pro Lege & Canone habeatur rectæ doctrinæ. Si enim ad probandam doctrinam rectam valet consuetudo: licet & nobis omninò illos imitari. Stemus itaque ARBITRATV SCRIPTVRÆ: & apud quos inueniuntur dogmata Diuinis oraculis consona: illis omninò VERITATIS adiudicetur sententia.